



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

92. Tvscana ex bonis communibus etiam contra viri voluntate licitè facit eleemosynas, modò istæ vigesimam parte[m] annuorum reddituu[m] non excedant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

sint, vt eveniat bonum, quod vnicè vrgent Adversarij, hîc tamen nullum fit malum, cùm moraliter vita sit iam perdita; perinde vt in muliere gravidâ ad mortem damnata, quâ servato iuris ordine secari posse, si Spes sit, vt fœtus sic baptizari valeat: periculum verò aliàs, ne ex aliquo morbo ante partum vnâ cum prole moriatur, ex Suarez, & Coninck docet Escobar. *Tr. 7. Exam. 2. c. 4.*

XCII. Tuscana diuitis viri vxor de bonis communibus liberales facit eleemosynas, tum in filios ex priori matrimonio, & fratres pauperes, tum in alios, nec reprehensa idcirco à marito eas omittit. Queritur. Vtrum peccet elargiendo?

Videtur peccare. Ita Turrian. *in 2. 2. Tom. 2. D. 23. dub. 5. n. 6.* quia eleemosynas has non facit ex paraphernis alijsque proprijs, sed ex communibus bonis, quorum administratio est penes maritum, vt proinde, hoc inuito, nihil ex illis vxor elargiri possit.

Resp. Tuscanam non peccare, si faciat moderatas eleemosynas pro more aliarum fœminarum suæ conditionis, nec vigesimam partem annuorum prouentuum excedentes. Ita Bannez *in 2. 2. Q. 32. art. 8.* Malderus, & plures, quos citat, & sequitur Diana *P. 2. Tr. 5. Resol. 34.* Nam in hoc maritus non potest esse rationabiliter inuitus; ipsa enim non est serua, sed socia honorum; vnde spectat ad eius decentiam aliquas eleemosynas elargiri. Quin-

Quinimò si assignata quantitas eleemosynæ in filios ac fratres pauperes non sufficiat, ipsa autem Tuscana aliunde iuuare eos nequeat, poterit inuito etiam marito clam plus surripere, & egentibus illis succurrere, vt docent Less. L. 2. c. 12. n. 88. Bonac D. 2. de Restit. Q. 10 pun 2. n. 9. & alij. Quia ad decentem quoque vxoris statum eiusque honorem spectat, ne filios ac fratres egere permittat, cum bona habeat, ex quibus subuenire possit. At tamen debet vxor dissoluto matrimonio inter bonorum partitionem cum viri hæredibus computare in suâ parte, quæ sic ultra dictam supra quantitatem elargita est, cum æquum non sit, vt ex alienis subueniat consanguineis, si habeat propria, vt rectè notant cit. AA.

Atque ex his patet ad rationem in oppositum: esto enim maritus habeat administrationem bonorû, non potest tamè agrè ferre, si illorum socia seu Vxor aliquid inde accipiat, & in laudabiles fines expendat.

XCIII. *Tychius Sacerdos ante aliquot annos initiatus recordatur nunquam se dixisse sacra & preces ab Episcopo in ordinatione iniunctas. Nunc anxius de hoc intelligere cupit, qualis sit obligatio. Queritur. An peccarit mortaliter?*

Videtur sic peccasse. Ita Azor, Suar. Laym. Less. L. 2. de Iust. cap. 37. n. 46. & alij. Tum quia Episcopus pote st similia sub gravi onere